



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

xxiii. Canem si saturare velis post famem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Si macilentum pinguem efficere voles.

PANEM vna cum lacte tantum primo die dato, quantum vorare ante confuevit. sequentibus vero diebus partem panis adime, vt lac superet. post sex vero dies solo lacte pascet, ac vesperi modice alito. Rursus si voles à lacte canem abducere, partem lactis subtrahe, ac in eius locum panis succedat. Toto autem eo tempore, quo lacte faginatur vincula ei adimenda omnino non sunt: contra, vt subtrahi ceptum est, in singulos dies cursu erit exercendus.

Aliud.

Canem si alere voles, auenam primum flammis torreto: deinde in mola frangito: postremo quotiescumque vis pascere eum, aquam in ollam infunde, ac igni admota ebulliat; tum farinæ quantum sat erit, ac canis poterit absumere, inijcito, hisq. adipem commisceto: postquam autem refrigerint hæc, in cibum dabis. hoc vero facies in quintum vsque diem, aut sextum; atque re ipsa cognosces, ipsum fieri pinguiorem.

Canem si saturare velis post famem.

FABALIS albi sextariū vnum, olei itidem vnum, suilli adipis saliti totidem, coquito, & triduum cani ieiuno dato, eadem

hora, qua ali consuevit. Canes paruos alere si voles, neque lac habeas, pulmonem bouis adurito ac in cinerem redigito, quem deinde pabulo inspergas.

Si canis inflammatione toto corpore laboret.

SI inflammatione laboret canis, aut oculorum aut pedum, & maxime si læsus sit quoquo modo, noli putare esse vlcus. Curabis vero sit: ceræ partem vnā, duas mellis Attici & olei communis partem misce ac coque. deinde canem toto octiduo inunge. interea temporis pabulo humido, ceu succo pascendus erit.

Si canis ab altero morsus sit.

OS cerui adurito, miscetoque oleo, ac terito simul, vt cerotum facias, quo deinde curabis morsum.

Canis si morsus sit, aut vapularit ab aliquo.

CArnes cum cinere ferri plagæ impone, ac sanabis.

Si canis à rabido morsus sit.

FOlia rutæ impone loco, vna cum pice & aceto, & curabitur.

Si canem